



[Faint, illegible text on a blank page]

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10



23 EXERCITIUM JURIDICUM

De

DOMICILIO, 18

ANNUENTE DIVINO NUMINE,
PERMISSU NOBILISSIMÆ FACULTATIS JURIDICÆ,
SUB PRÆSIDIO
VIRI 1665 1

Nobilissimæ, Consultissimæ, & Excellentissimæ

DN. ERNESTI CREGEL,
U. J. D. celeberrimi, & in florentissi-
mâ Noricorum Altdorffinâ Pandectarum Professoris
Ordinarii, prælaudatæ Facultatis h. t.
Decani spectabilis,

nec non

Inclutæ Reipubl. NORIMBERGENSIS
Consiliarii dexterrimi,
Patroni & Fautoris colendissimi,
publico ac placido Eruditorum examini
propositum

JOH. SALOMONE Schilling /

Luccâ LUSATO, A. & R.


ad D. Septembr.

A. c. l. b. l. c. LXV.

ALTDORFFI

Typis GEORGI HAGEN, Universitatis Typographi





J. N. D. J. C. !
DE DOMICILIO

§ I.

Dicendū esset in ipso vestibulo de iis, quæ circa nomē aliàs explicatur, sed quia non adeo magni hâc vice ista videntur momenti, tanquam in vulgus nota, statim videbimus rem ipsam. Unicum duntaxat notatu dignū occurrit, vocabulū domicilii in jure passim absolutè poni, *pro domicilio habitationis*, cum tamen ut genus & species differant.

¶ I.

Definimus Domicilium in genere, quod sit jus, quo quis communiter utitur cum reliquis Civibus alicujus Civitatis, l. 27. §. 1. ff. ad Municip. DN. Hahn. ad Wesenb. t. de Judic. n. 16.

¶ I I I.

Hoc quomodo constituatur, variant Interpp. *Matthæus Wesenbecius part. 1. Consil. 1. n. 57. vers. tantum enim &c.* quatuor illud acquiri Modis existimat. *Felinus in c. ult. extra de Foro compet. n. 24. vers. ad quas recurret &c. XIV.* Rectius alii triplex statuūt domicilium, *Commune, Originis s. Naturale, Habitationis s. Accidentale.* *Wurm. Ex. J. P. 149. II. Gail. 2. O. 36. num. 2. & 3. Menoch. lib. 6. præsumpt. 42. n. 3. 4. q. 11.* Et hanc divisionem adæquatam putamus, secus ac visum est *Vultejo ad l. 2. C. de Jurisdic. n. 14. & seqq.* Quamvis commodè satis *DN. Benedic. Carpozovius, Fctus per orbem Clarissimus lib. 2. Resp. 21. n. 3. & seqq.* eandem referat ad *διχοτομία*, Domicilium scil. *Naturale & Accidentale.*

A

SE

SECTIO I.

De

Domicilio Communi

§. I.

Considerabimus ordine singulas species. Domicilium commune habebant olim omnes Romani Cives, *l. 33. ff. ad Munic.* Et initio quidem soli cives & incolæ urbis Romæ *l. 1. §. 1.* postea Latini qq. Etrusci, Itali &c. *Alciat. 2. dispunct. c. 21.* tandem ex Constitutione D. Antonini omnes Orbi Romano subditi *l. 17. ff. de Stat. homin.* Hinc Rutil. Numatianus, citante Gothofredo *ad Nov. 78. c. 5:*

Fecisti patriam diversis gentibus unam,

Profuit injustis, te dominante capi.

Dumq; offers victis propriè consortia juris,

Urbem fecisti, quæ prius orbis erat.

modò ii fuerint juris Romanæ civitatis capaces, quò caruerunt barbari, i. e. qui imperio Romano non erant subjecti, & servi per *l. 32. ff. de R. J.* Adde ad genuinum *d. l. 17. ff. de S. H. intellectum Alciatum d. l. 2. dispunct. c. 21. & Bachov. in præf. ad d. l. 17. it. ad Treutl. vol. 1. D. 2. th. 4. l. C. DN. Struv. Ex. 50. syntagm. Jurispr. th. 47.*

I. I.

Locus igitur domicilii communis erat Roma, *d. l. 33. ff. ad Municip. l. 6. §. 11. ff. de excusat. tut.* Dicta verò fuit Roma communis patria omnium, in orbe Romano viventium, i. quia, ut ex Marone *Ecl. 1.* discimus, erigebat

tantum inter reliquas capit urbes,

Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

2. quia erat *hæc civitas præloqui*, totius orbis compendium, quòd omnis generis nationes ibi habitarent, ac in eâ omnes civitates

com.

commorantes facile intueri liceret. *Hilliger ad Don. 17. c. 13. lit. D. vel potius (3) quod olim omnes Imperio Romano subjecti, ibidem reperti, potuerint conveniri l. 28. §. 4. ex quib. caus. maj. Accurf. ad d. l. 33. ff. ad municipal. Bachov. in apert. ad d. l. 17. vers. neq. puto aliter.*

III.

Et ne quis putet inane fuisse hoc domicilium, sciendum est, multos id habuisse juris effectus, quos omnes logo ordine narrare instituti prohibet ratio; me enim inter angustos cancellos coarctavi. *Vid. Speidel. in not. ad Besold. Thesaur. Pr. voc. Bürger.* Primarius tamen effectus sine dubio fuit, quod omnes exteri Romæ, si fortè ibi deprehenderentur, poterant jure conveniri, uti dictum; nec juvabantur exceptione fori non competentis, nisi jus revocandi domum suam habuerint *l. 2. §. 3. 4. §. seq. ff. de Jud. Did. Covarruv. practic. quest. c. 5.* Quale jus revocandi domum hodiernis moribus etiã Deputatis Civitatum inferiorum est datum, ut missi ad curiam suorum Principum non possint arrestari pro debitis suarum civitatum, per tradita *Pauli Christinae vol. 2. Cur. Belg. Dec. 100. n. 6. 7.*

IV.

Nostro autem tempore Romã, quia receptaculum Pontificis facta, desiit esse communis patria in Romano Imperio viventium, & jacet nunc nominis sui decoctrix, nihilq; est aliud, quàm venustatis pristinæ spurcum cadaver; ut venustè loquitur *Fr. Juretus in Not. ad Epist. Symmach. 24. lib. 1. in fin.*

V.

Idem tamen jus Domicilii communis hodiernæ sedi Imperatoris & Camerae Imperiali tribuit *Melchior Kling. in c. ult. extr. de for. comp. num. 2. ibi: vel suprema potestas &c.* Quod in Imperio Rom. verum putamus, quatenus omnes Impe-

rrii Subditi iisdem legibus & Constitutionibus Imperialibus sub-
 jiciuntur *l. 33. ff. ad Munic. Gail. 2. O. 36. n. 3. vers. commune*,
 omnesq; lites in suprema Imperii Curia, per modum appellatio-
 nis, nullitatis &c., eò delatæ, deciduntur, it: quatenus in qui-
 busdam casibus in prima instantia, omisso giudice inferiore,
 reus statim ad Imperatoris tribunal in jus vocari potest V.G.
 à pupillo, viduâ *l.un. C. qu. Imp. int. Pup. vel vid. DN. Strauch.*
D. ad J. P. 21. th. 19. Quatenus autem regulariter Imperio Roma-
 no subjecti, ordinariis judiciis sunt relinquendi. *O. C. part. 2. tit. 1.*
ibique, Julian. Magenhorst. (qui in pr. valdè allucinetur, af-
 ferens, Cameram habere ordinariam jurisdictionem omnium
 hominum & negotiorum totius mundi) *Cap. Ferd. III. art. 17.*
Ferdin. IV. art. 15. & c. Petr. Friderus Mîndan. lib. 1. d. processib. c. 16.
 & nemo propter jus primarum instantiarum statim in supre-
 mo judicio, etsi ibi reperiatur, conveniri potest, *Ord. Cam. anno*
1521. §. ferner ist auch betrachte: eatenus omninò negandum est,
 idem jus hodiè Imperatori, vel Cameræ competere.

SECTIO II.

De

Domicilio Originis.

§. I.

Domicilium Originis est jus, quo filius utitur cum reliquis
 Civibus illius loci, ubi legitimus pater civis, ac ubi filius natus
 est, vel natus esset, si mater, fortè tempore partûs, alio loco nò
 fuisset. *l. 1. pr. §. 1. 2. l. 6. pr. §. 1. l. 15. §. 3. l. 17. §. 11. ad munic. l. 3. C.*
de municipib. l. 7. C. de intol. Nicol. Boër. dec. 13. n. 51. & seqq.

I I.

Habet igitur quis hoc domicilium in loco nativitatis suæ, Pa-
 trumve, ubi quis natus est oriundusve: quemadmodum hæc duo
 duo

duo distinguunt Dd. *Alciat. ad l. qui in continentib. 147. n. 3. de V. S. it. ad l. 190. num. 4. eod. Hillig. d. l. 17. c. 12. l. B.* Sic Titius Civis Noribergensis, cujus Pater fuit Ulmensis, si generat Noribergæ filium Sempronium, hic Sempronius natus est Noribergæ, oriundus autem Ulmâ, & ita habebit duplex domiciliû Originis, alterû in loco nativitatis suæ, alterum eo in loco, ex quo legitimus pater naturalem ducit originem *l. 1. pr. junct. l. 6. §. 1. ff. ad Munic.*

III.

Quod autè de nativitate dictum, non ita intelligendum est, qd. in loco nativitatis quis indistinctè Patriam consequatur *l. 3. C. de Munic.* sed requiritur insuper, ut & pater ibi legitime constitutum habeat domiciliû; ut benè notat *Nobil. Dn. Strauch. d. D. ad J. P. 21. §. 15.* Filius siquidem illius societatis membrum est, cujus & pater, *d. l. 3.* Et domiciliû constitutio juris est *Hillig. c. l.* atq; à patre ad filium proficiscitur, *l. 6. §. 1. ff. ad Munic.* quomodo verò de jure, quod nec pater nec mater ibi, ubi filius in transitu natus est, habent, aliquid communicabit, contrà *l. 54. ff. d. R. J.?* Quòd si quis ex vico fuerit ortus, eam patriam intelligitur habere, cui Reipubl. vicus ille respondet *l. 30. ff. ad Munic. l. 9. ff. de Judic.*

IV.

Cõsecuti sunt Cives Romani domiciliû Orig. vel jure comûni & ordinario, vel ex privilegio. Illo modo semper sequebatur filius originem patris, non matris, etsi in maternâ civitate natus fuerit *l. 3. C. de Municip.* Ex privilegio quidam habebant, ut *Illeptes &c.* qui non patris, sed matris originem sequebantur, *l. 1. §. f. ff. eod.* Eod. modo spurii matris, *d. l. Legitimi* autem Patris originem sequuntur. *Azo in summâ aur. ad tit. C. de municip. §. originar. vers. quid ergò dicemus de bastardo factò legitimo.*

Præterea jure communi ordinariò conſequebatur quis originem nativitate civili, i. e. manumiffione & adoptione *l. 7. C. de Incol.* Illo modo Manumiffus, propter *παλιγενεια*, jus regenerationis. *Nov. 78. cap. 1.* Hòc, Adoptatus. Iftà civili verò origine naturalis non adimitur, potiùs cumulatur *l. 15. §. ult. ff. ad Munic. Weſenb. ad d. tit. n. 5.* Sed quia duo hi pofteriores modi non, vel parùm, frequentantur, teſte *DN. Schnob. D. in 2. ult. theſ. 27.* idcirco plura de iis addere operæ non eſt præcium.

V I.

Jura, quæ ratione hujus originis competunt, eadem ferè ſunt, quæ domicilii habitationis. Inprimis in loco originis quilibet honores & munera perſonalia obire tenetur *l. 3. C. de Munic.* niſi ſpeciali gaudeat privilegiò, *l. 8. C. de Incol. l. 23. pr. l. 22. §. 5. ff. ad Munic.* Quin ibidem de Jure noſtro poteſt conveniri. *l. 29. eod.* Ampliatur Reg. ut, ſi plura forſan habeat domicilia *l. 6. §. f. eod.* prædicta jura ubique competant *l. 17. pr. eod.* Quando autem ab utraque civitate eodem tempore ad honores vocatur, ſemper originis cauſa potiùs eſt *l. 17. §. 4. eod.*

V I I.

Non levis hîc occurrit quæſtio, an Domic. Orig. ſit mutabile, & an mutatio domicilii eximat Civem à Jurisdictione Civitatis originariæ? Ut pro inſtituti ratione breves ſimus, de Jure Civili illud immutabile dicimus, nõ quoad munera & honores tantùm, verùm etiã quoad Jurisdictionem *d. l. 29. ff. ad municip. fruſtrà diſſentiente Gaïlio d. O. 36. nu. 5. verſ. Et hoc potiſſimum Gilhauf. Arb. jud. c. 1. p. 2. §. 2. num 21. l. 6. pr. l. 22. §. 2. ff. ad Munic. l. 4. l. 5. C. eod.* exceptâ uxore, quæ ſequendo Mariti domicilium jus originis amittit. *l. un. C. de mulierib. in quo loc. munera.*

munera &c. Ex consuetudine verò totius Germaniæ jus originis, ipso secessu & animò non redeundi, mutabile factum est, non solum quoad jurisdictionem, sed & quoad munera & honores. *Gail. d. O. 36. n. 7. Tob. Paurmeister. lib. 2. de Jurisdic. c. 8. n. 38. Hilliger. d. l. 17. c. 12. l. B. vers. quod tamen.*

I I X.

Amittitur præprimis per renunciacionem Jurium Civitatis, adeò ut post renunciacionem & mutationem in foro originis originarius non possit conveniri, licet ibidè reperiatur; secus ac voluit *Gail. 2. O. 36. n. 11. Gilhaus. c. l. Contrarium enim approbat usus totius Germaniæ, teste Hillig. ad Don. 17. c. 12. de lit. B. Confer Zanger. de Exception. part. 2. c. 1. n. 28. ubi testatur, in quibusdam Germaniæ Civitatibus extare Statuta, quibus cavetur, Civium liberos amittere jus Civitatis, si alibi domicilium constituerunt, & ibidem per annum & diem habitaverunt. Tob. Paurmeist. d. l. 2. de jurisd. c. 8. n. 37. David Mervius ad Jus Lub. l. 1. t. 2. Rubr. n. 17. In dubio tamen quilibet in loco originis domicilium habere præsumitur, Hill. c. l. DN. c. Mervius d. l. 1. t. 2. Rubr. n. 19. DN. Carpzov. l. 2. t. 2. Resp. 21. n. 14. cumq; mutatio sit facti, ab eo, qui hanc asserit, venit probanda l. 16. C. de probat. Carpzov. jam d. Resp. n. 14. 15. & seqq.*

I X.

Cùm igitur, ut patet, hodiè originis jus sit mutabile, non ineptè, ut *Gilhaus. cap. 1. p. 2. §. 2. n. 22. autumat*, quaritur, an illud nuda asseratione vel negatione, &c. gr. si quis Noribergæ conventus se Noribergensem neget, cum tamen sit Noribergensis; possit mutari? *N. per l. 6. pr. l. 20. ff. ad Municip.* ubi nuda contestatio non sufficit. Nebulonum enim affirmare vel negare, rei veritatem non potest pervertere.

X.

Mutatur autem translatione bonorum in alium locum animo

nimò non revertendi *Gayl. 2. O. 36. num. 7. 9.* Præterea emancipatione tollitur origo civilis, nõ verò naturalis *arg. l. 15. §. ult. ff. eod. §. 2. Inst. d. adopt.* Item per matrimonium, quando foemina alterius provinciae civi nubit, origo mutatur *l. 28. §. 3. eod. & per maximã capitis deminutionem arg. §. 1. Inst. de Cap. demin.* Num etiam per deportationem, bannum, captivitatem partim dubitamus, partim distinguimus.

X I.

Ulterius disquiritur: *An Civis mutando originem vel habitationẽ ita mutet forũ, ut necde illis, quæ ante mutatum domiciliũ gesta sunt, ibidem respondere teneatur?* Distingv. Aut cœpta lis est ante mutationem, aut non. Priori casu, quia tunc alter alteri ex qs. contractu obligatur, ubi acceptum est iudicium, ibi quoq; finem accipere debet, *l. 7. 30. ff. de Judic.* quod extendit *Gorhofred. ad d. l. 30. ff. d. judic.* etiamsi simplex citatio sit facta. Posteriori casu, cum ipsã domicili mutatione etiam mutetur forum, reo convento dabitur exceptio fori non competentis. *Besold. d. Proc. c. 1. n. 8. lit. m.*

SECTIO III.

De

Domicilio Habitationis.

§. I.

Superest, ut dispiciamus de tertio membro, Domiciliõ Habitationis. Describitur Habitationis domiciliũ *in l. 7. C. de Incol.* quòd sit locus, ubi quis larẽ, rerumq; ac fortunarum suarũ summam constituit; unde rursus non sit discessurus, si nihil avocet: vel, ut *Donellus l. 17. c. 12.* pressius describit: *Est locus, in quo quis habitat animo ibi perpetuò consistendi, nisi quid avocet. l. 3. 4. C. d. t. de Incol.*

II. Con-

Constituere hoc domicilium potest quis rerum suarum liber moderator & arbiter, & qui animū perpetuū in loco quodā permanendi potest habere: qualis est pater familiās, filius-familiās, soluta à nexu conjugali fœmina. Hunc autē animū, hancq; liberam rerum administrationem cum uxor haud habeat, sed mariti habitationem sequi teneatur, hinc facillè deciditur quæstio, *an uxor, quando alterius Civitatis vel Provinciæ civi nubit, proprium domicilium sibi constituat?* N. Uxor enim ex sua persona domicilium non habet, nec constituere potest: quod autem habet, illud consequitur ex persona mariti *l. ult. C. de Incol.* Ratio est, quòd uxor mariti, non contra maritus uxoris, habitationem sequi teneatur. *d. l. ult. Schönborn. l. 1. Polit. cap. 6. vers. tertio Uxori jung. §. 7. sect. 2.*

Idem dicendum eo casu, quando maritus post celebratas nuptias domum & bona uxoris intrat, vulgò: *Wenn der Mann zum Weibe einfreyet.* *Hillig. ad Donell. 17. Com. 12. lit. L.* Etsi enim eo casu uxor suum forum non mutet, sed servet; nihilominus tamen rectè dicitur, uxorem non ex sua, sed mariti persona, domicilium habitationis sortiri. Uxor enim non idèo retinet suum domicilium, quòd illa velit ibi permanere, sed quòd maritus, tanquam caput, suò factò & voluntate animū ibi consistendi declarat. *Hillig. d. l. DN. Struve Syntagm. Jurisprud. Ex. p. th. 28.*

Hoc mariti domicilium retinet etiam post ejus obitum, nisi se denuò alii jungat, *l. 22. §. 1. ff. ad Munic.* Limitantur autè dicta, quoad desponsatam tantum. Illa enim per se proprium domicilium habet, neq; aliter amittit, quàm post contractas nuptias *l. 32. ff. eod.*, atque ita, quod vi statutorum de uxore constituitur, ad sponsas non pertinet. *Gothofr. ad d. l.*

V.

Præterea constituere hoc domiciliū sibi non possunt, quibus deest animus, vel naturaliter, vel civiliter. Ob naturalem animi defectum ex sua persona prohibentur impubes, furiosus; & censetur ille patris domiciliū, hic verò illud, quod ante furorem habuit, retinere. Quòd si tamen Parentes, Tutores vel Curatores habeant, eorumq; autoritate aliò, ut ibi perpetuò commorentur, se conferant, translata in simul majori bonorum parte, videtur illis reipsa & facto aliud domiciliū constitutum. *Gilhaus. arb. Jud. c. 1. p. 2. §. 2. n. 1. (2.)* ob civilem animi defectum prohibentur prodigi, *l. 40. ff. de R. J. Servil. 32. eod.* Moderni tamen servi & famuli, propter sublatum servitutis impedimentum, proprium domiciliū habent ac retinent.

V I.

Sed hoc in multis locis valde limitatum videmus; (quã de re etiã hodiè inter duo Illustrissima S. R. I. Candelabra E. M. & P. acerrima est contentio; quam tamen litem ego homuncio non facio meam: vota duntaxat nũcupo, ut mox componatur, quò in unitate Spiritus porrò luceant, & sacrum illuminent Imperium!) ut in Ducatu Mecklenburgico, Borussia, Polonia, Westphalia &c. Ibi enim adhuc hodiè dari homines proprios Germ. *Leibz eigene Leut* / tradit Rennem. *de Jur. Pers. D. 40. th. 13. a.* qui sanè, eò quòd servitutem ratione subjectionis Domino præstare teneantur, non possunt in ejus præjudicium locum mutare, & aliò, invito Domino, domiciliū suum transferre. *Gail. de Arrest. Imp. c. 8. n. 13. 14.* Idem de Inferiori Lusatia, Patriã dilectissimã, memini: Ubi nemo rusticorum, nec eorum proles, suū domiciliū mutare, & in locum alterius Jurisdictioni subiectum (nisi fortè filius artem mechanicam didicerit) transferre potest; aut si quis eorum fugiat, datur domino jus revocandi in possessionem servitutis. *l. 1. §. 2. l. 3. 4. ff. de Fugitiv.*

VII. OB

Ob civile etiam impedimentum habitationem de novo sibi constituere non possunt infames *arg. l. 13. C. ex quib. caus. infam.* Relegati & banniti, sc. eo in loco, ex quo relegati sunt, & nondum restituti. *l. 31. ff. ad Munic. Ordnung der Notarien de anno 1512. §. crstlich ordnen.*

IX.

Qui verò non impediuntur, ubi placebit, ponunt domiciliū ipsis non interdictū. *d. l. 31. ubicunque illud cōstituunt ait Ulpianus in l. 4. ff. ad munic.* De eo dubitatur: *an etiā in duobus locis possit quis habere domicilium?* Id difficile quidem, verum tamen esse, cum JCTo *in l. 27. §. 2. eod.* respondemus, sc. si ita se instruxit, ut utrobique se collocasse videatur *l. 5. 6. §. 2. eod. i. e. si ubiq; destinato permanendi habitet animò, Donell. 17. c. 12.* Hoc sæpius fieri videmus in Mercatoribus, qui pluribus locis ex æquo negotiantur & habitant *l. 5. d. t.* item in Viris Illustribus & ditioribus, qui per semestre æstivum in suis prædiis, per hybernum autem in urbibus vitam transigunt.

X.

Acquiritur domiciliū multis modis, de quibus *Gilhaus. c. l. n. 3.* Præprimis, quando quis se suaque bona in alium locum transfert animò ibidem habitandi *l. 7. C. de Incol.* Animus ille declaratur expressè, vel tacitè. Expressè: quando advena habitationem instruit, simulq; à Magistratu loci jus Civitatis, *das Bursgerrecht*/impetrat.

X.

Hoc loco disputatur, (1.) *quisnam Magistratus habeat hanc potestatem concedendi Jus Civitatis?* Deinde: *Sint né omnes peregrini recipiendi?* Quod prius attinet, dicendum, cives creandi potestatem competere Magistratibus municipalibus, (necdum aliis superioribus) etiam absq; jussu, scientia & licentia *Domini territorialis.* Hæc enim jure Magistratus competit & Jurisdi-

risdictionis est, nec de Reservatis Principis; *Besold. Thes. Pract. v. Bürger. Bruning. de var. univers. specieb. thes. 50. Alex. l. 6. Conf. 148. n. 7.* sicut potestas constituendi jus civitatis, *das Stadt-Recht/ die Stadt-Freyheit l. 9. §. pen. ff. de R. D. Thom. Michael de Jurisdiction. Concl. 12. l. C. Ad 21.* Resp. non utiq; omnes peregrinos ex promiscuâ face vulgi in numerum civium, sine discrimine, recipiendos esse, *Aristot. 5. Polit. c. 3. Justin. l. 1. cap. 10. Schönborn. l. 3. Polit. c. 35.* nec omnes absq; discrimine simpliciter à jure civitatis excludendos: quoniam id Reipublicæ, ex gr. quando destitueretur ejusmodi Viris, quibus carere non posset; manifestissimum afferret detrimentum. Præterea sæpè evenisse compertum est, peregrinos obsequiò, fidelitate, vitæq; honestate ipsos originarios longè superâsse. Exemplum habemus in Pomponio Attico, *referente Corn. Nepote in ejus vita.* Ut taceamus, maximè interesse Reipubl. populosas habere Civitates.

X D.

Interim non inficiamur, optimò jure, in assumptione peregrinorum, examen à Magistratu institui in illorum conditionem & vitam, *DN. Schnob. D. ad 7. ult. th. 28. Nov. 80. c. 5. §. 1.* an sint Viri honesti, non infames, nec hæretici *l. 2. pr. l. 4. §. 7. C. de Hæret. Banniti.* Ordnung des Landfriedes *ds an. 1521. §. es soll auch/ §. des gleiche segen; Judai, Ordn. guter Polic. de an. 1548. §. itê nach dem in etliche ortê.* Et secundû quòrunda locorû cõsuetudinè, rectissimè introductû est, ut assumendus Magistratûs sui, sub quo hætenûs vixit, literas testimoniales exhibeat, an honestè vixerit, ac bonâ gratiâ discesserit; *Besold. u. l.* Assumendus quoq; solutâ certâ pecuniâ redimit jus Civitatis: quæ pecunia certò determinari nequit, sed pro cujusq; civitatis conditione & splendore variat. Interdum etiam pro personæ conditione, & prout persona civitatem vel ornat, vel ei prodest, ita quoq; vel planè gratis, vel remissâ aliquâ pecuniæ parte, recipitur.

XIII. Of.

X I I.

Offert se hic controversia; *an dicta solum in peregrinis, num etiam originariis obtineant?* R. ea itidem pro cuiusq; loci varietate variare. Videmus enim, in quibusdam civitatibus originarios, in originis loco habitationem instituturos, æquè ac exteros jus Civitatis redimere: In quibusdam verò contrarium observari, *Besold. d. l. In Civè porro allectus præstat Magistratui ordinario homagium, in assecurationem majoris fidelitatis & obedientiæ, Braudlacht Epit. Jur. Publ. l. 2. c. 11. n. 3. 4.* Idq; tam originario, quàm advenæ necessariò præstandum est. *Idem c. l. n. 7.* Tandem, ut sciat Magistratus, quos & quot habeat subditos, noviter recepti matriculæ inscribi solent. *Wurm. E. J. Publ. l. qv. 16.*

X I I I.

Hactenus, quomodo expressè domicilium fiat proprium Tacitè verò per incolarum constituitur *l. 7. C. de incol. quod fit, quãdo quis in aliquo loco se collocat, alda Feur und Rauch hält/ ut loqui amat Modest. Pist. vol. 1. Conf. 53. n. 10.* nec tamen prædictis modis jus Civitatis impetrat. Quo casu si per decennium non recedendi animò quis vixit, domicilium præscriptione constitutù & acquisitù volunt *Wurm. ad J. Publ. Ex. 4. q. 10. ubi plures citati, Wesenb. ad t. ff. ad Munia n. 7.* Alii rem arbitriò judicis relinquunt, ita, ut pro loci & personæ conditione & qualitate, etiam minori tempore domicilium possit constitui, *Zanger. de Except. p. 2. c. 1. n. 18. Gilhaus. c. l. c. 6. p. 1. §. 189. n. 2.* Nos utrumq; verum putamus, dummodò rectè intelligatur ac limitetur; quam limitationem idem *Wurm. d. l.* subjungit.

X I V.

Quando autem de certò animo permanendi, sine quo domicilium habitationis nec fingi potest, non constat, ad conjecturas recurrendum est, quæ desumuntur ex muniis vitæ cotidianæ, & ex ordine ac conditione personæ *l. 27. §. 1. ff. ad Munio.*

Munic. l. 8. C. de Incol. Sic dantur quædam personæ, quæ, quam-
 primùm alicubi aliquod à legibus privilegiatum vitæ genus
 nanciscuntur, statim etiam inibi domicilium nanciscuntur.
 Exemplum de Senatore Romano est *in l. 8. C. de Incol.* Sic miles
 ibi domicilium habere videtur, ubi meret, si nihil in patria pos-
 sident *l. 23. §. 1. ff. ad Munic.* Contrà dantur personæ, quæ et si in
 quadam civitate per aliquot annos vivant, imò civium
 privilegiis fruuntur, domicilium tamen ibi constitutum non
 habent; quales sunt, quæ vel domicilium habitationis sine jure
 Civitatis impetrârunt, vel ex necessitate officii, ut Syndici, Profes-
 sores, Officiales Principum & Statuum; vel studiorum causâ, ut
 Studiosi in Academiis; vel ob aliam necessitatem, forsan belli,
 pestis &c. in aliquo loco commorantur. *Besold de Procef. c. 1. §. 9.*

X V.

Limitatur, quod de Officialibus, & illis, qui interdum domi-
 cilium sine jure Civitatis habent, dictû est, eos in quibusdam locis
 non admitti, ut bona possideant, nisi cum onere personalis
 subjectionis, *Besold. c. l. Limitatur (2) non procedere, si prædicti
 omnes animum permanendi ex post facto, re&facto, declarave-
 rint, Gilhaus. c. l. c. 1. p. 2. §. 2. n. 7.*

X V I.

Hodiè in Civitatib. Germaniæ ex consuetudine vel statuto
 domicilium passim post annum acquiritur, nec tolerantur ad-
 venæ diutiùs, si lapsò annò jura civium redimere nolint, *Gail. 2.
 obs. 35. n. 8. vid. §. 8. sect. 2.*

X V I I.

Porrò inter modos constituendi domicilium ponitur pos-
 sessio bonorum, i. e. quando quis in aliquo loco bona & res fitas
 habet, tunc ibi domicilium bonorum, adeòq; etiam forum
 competens non solum in actione reali, sed etiam personali, si
 ibidem reperiat, habere dicitur. *Vultej. ad l. 2. C. Jurisdic. n.*

14. § 17. Quod non admittimus propter *text. express. in l. 17. §. 5. 13. ff. ad Munic. l. 4. C. de Incol. junct. l. 29. ff. ad Munic.* ut proinde non abs re dicat *Il. Umm. de Process. D. 4. th. 1. n. 5.* Vult eum hic à tramite veritatis deviâsse. Hæc enim possessio, facti tantum est, *Hillig. ad Don. 17. C. 12. lit. C.* Domicilii autem constitutio juris, *Hill. d. l.* Ideoq; ex eo, quòd quis alibi bona possideat, vel etiam interdum alibi ex privilegio possit conveniri, non statim ibi domicilium habere rectè concluditur. Et hoc est, quòd *Besold. c. l.* affirmat, sæpè fieri, ut domus sine domicilio, domicilium sine domo, inveniatur.

X I I X.

In dubio autem, appellatione domicilii, habitationis, non nativitatis, venire, norat *idem Hillig. d. l. lit. B. Vultej. ad. d. l. 2. C. de Jurisd. n. 24.* quia id *κατ' ἐξοχήν* & propriè sic dicitur.

X I X.

Efficitur per hoc domicilium quilibet civis & subditus, ac pro originario habetur, *l. 22. §. 2 ff. ad Municip.* omnium item jurium, privilegiorum ac immunitatum, tam ipsemet, quàm ejus filii, etiam antè nati, fiunt participes, *Besold. Thef. Pract. v. Bürger.* nisi aliter Statutò receptum sit, *Gail. 2. Obs. 36. n. 6.* Honoribus quoq; & muneribus tam personalibus, quàm patrimonialibus, *l. 29. ff. ad Munic. l. 3. pr. ff. de muner. & hon.* item consuetudinibus & legibus loci, ubi incola est, subjicitur, *d. l. 29. ad Munic. Modest. Pistor. vol. 1. Conf. 58. n. 9.*

X X.

In primis verò unusquisq; in loco domicilii, *da er die Erbhuldigung geleistet* / forum sortitur; quod forum amplissimum est, & cum omnibus aliis forum sortiendi modis concurrat, s. de possessione agatur, s. de proprietate, *Besold. d. l. §. 7.* sive de contractus impletione, sive de contractus dissolutione. *Il. Umm.*

Umm. de Process. D. 4. th. 1. n. 7. ideoq; in arbitrio actoris est, an reum in loco v. gr. reistatæ vel contractus, vel delicti, vel domicilii, velit convenire, *Besold. d. 8. 7. lit. L.*

X X I.

Ab hac reg. quòd quilibet in loco sui domicilii comperens forum sortiatur, excipiuntur quædam personæ, quibus conveniendis non ipsarum, sed aliorum intuitu, datur domicilium, ex. gr. uxor & vidua, quæ in loco domicilii maritalis conveniendæ *l. ult. C. de Incol. Besold. Consil. Tubingens. Part. 4. C. 151. num. 79. Cass. Klock. tom. 2. Conf. 64. n. 6.* Idem in hærede obtinere, ut & is ibi conveniendus & defendendus sit, ubi defunctus conveniri debuit, asserit post alios *ll. Umm. de Proc. D. 4. th. 1. num. 6.* Contrarium autem verius, & textus in *l. 19. pr. ff. de Judic.* quò Ummius niritur, ex *l. 34. eod.* est explicandus cum *Nobiliss. D. Struv. Præceptore meo honoratissimo, Ex. 9. Syntagm. Jurispr. th. 36.*

X X I I.

Præterea à Jurisdictione & subjectione, domicilii comite, singulari privilegio exempti sunt Clerici, *Auth. Clericus, Auth. Statuimus, C. de Episcop. & Cleric.* qui in civilibus causis non corà Seculari, sed Ecclesiastico Judice conveniendi. Quoniam verò hæc exemptio in Jure divino nõ est fundata. *Joachimus Stephan. de Jurisdic. lib. 4. c. 12. n. 31. Thomas Michaël. de Jurisd. concl. 10. l. C.* quin nec in primitivâ Ecclesiâ; optimò igitur jure Status Protestantæ in Clericos jus consistorii & jurisdictionem exercent. *Mev. quest. pralimin. 3. ad Jus Lubec. n. 3. 4. cum seqq.*

X X I I I.

Eximuntur insuper à Jurisdictione, quam domicilium comitatur, *Professores & Studiosi*, qui Magistratū habet Academicum, *Auth. Habita, C. ne sil. pro patr. nec statutis localibus ligantur. Mevius. quest. 3. pralim. num. 15. Carpx. in Jurispr. Consistor. lib. 3. d. 12.* Consilarii item Principum & Aulici, *Petr. Heig. part. 2. quest. 25. n. 13. & seqq. Mevius quest. 3. pralim. n. 33. & seqq.* Inde est, quòd illustres Cameræ Adsestres Jurisdictioni Urbis Spire non sint subiecti

subjecti *Petr. Denais, Disp. de Jur. meri Imper. in eos, qui Spir. a constituti. art. 3.* Et deniq; qui privilegiatarū ædium sunt inquilini, *Carpz. in. Jurispr. F. R. S. par. 3. Const. 12. Def. 19.*

X X I V.

Tandem ut non seculares tantummodo, sed etiam Ecclesiasticos consideremus effectus; Quilibet, in Parochiâ animò manendi habitans, fit Parochianus (ein Pfarrrind) *Mascard. vol. 3. de probatione. Concl. 11. 25.* proindeq; à Parochia istius Parochiæ, der Pfarre oder Kirchspiels, absolvi, & Sacramentū, copulationem ac benedictionem sacerdotalem accipere debet; ab eodem liberi baptizandi, ac tandem in illa Parochia civis cum suis sepeliendus. *DN. Struv. d. E. th. 39.* nisi alibi sepulturam elegerit; quod cuilibet liberum est. *C. de uxore 7. x. de sepultur.* vel nisi Majores alibi terræ fuerint commissi *c. 1. d. t. de sepult. ibiq; Henr. Canis. n. 2. & 3.*

X X V.

De Effectibus legitimorum Civium hætenus. Effectus autem quoad eos, qui domiciliū habitationis, sine jure civitatis & onere personalis subjectionis, habent; vel alibi ex officio vivunt; est, quòd cives & subditi non fiant, proindeq; nec forum ibi aliter fortiantur, quàm quatenus cū Magistratu loci pacti sunt, sc. ratione futurorum contractuum vel delictorum; neq; etiam statuta loci in eorum successione observantur. Sed quando ab intestato illis succeditur, bona mobilia dividuntur secundum statutu loci mortis, immobilia v. secundum statuta loci, ubi sunt sita. *Respd. de Proc. c. 1. §. 9. lit. n. o.* Ab oneribus verò patrimonialibus, si quæ bona, præter ædes privilegiatas, die Grethhäuser, in loco domicilii possident, non sunt immunes *l. 6. §. 4. 5. ff. de Muner. & Hon.*

X X V I.

In peregrinis prædicta §. precedent. multò magis obtinere, manifestum est. Ratio, quòd hi ex nulla planè, vel exigua causa, Reipubl. obligati sint, idcoq; nullis civium privilegiis gaudeant, neq; etiam consuetudinibus & legibus loci obligentur; exceptis casibus, quibus forenses forum sortiuntur, *Nobiliss. Schnob. D. in π. 1. th. 11.* neque collectis subiaceant *l. 3. C. de Incol. Gaul. 2. O. 52. n. 13.* Casus exceptos vide *ibid. n. 24.*

X X V I I.

A peregrinis diversi sunt vagabundi, qui nullibi fixam habentes sedè, Planetæ sunt terrestres. Hi ex contractu vel delicto, ubicunq; reperiuntur, possunt conveniri. *DN. Carpz. ov. l. 2. t. 2. Resp. 25.* ne ipsis quælibet impunè peragere occasio detur, *argum. N. 89. c. 5.* In illorum autem numero habendi

C

non

non sunt banniti vel relegati, nisi & hi sine certa habitatione per mundum vagentur. *Besold. Thef. Pract. v. hauffheblich.*

X X I X.

Quod reliquum est, huic domicilio quilibet spontaneo motu rite renunciat, l. 17. §. 11. ff. ad Munic. arg. l. 35. ff. d. R. 7. etiam in vitiis Superioribus, l. 15. §. pen. l. 34. ff. ad Munic. l. postliminii 5. §. 3. de capt. & postl. revers. *X. X. de Anno 1555. §. wo aber. Heint. Klock. de Veltigal. jur. concl. 63. l. B. modo renunciatio non fiat malitiosè, l. 1. C. de incol. & præstentur ea, quæ ad renunciationem, more majorum, vel ex statutis civitatum, requiruntur, wenn nachgesteuert/ oder Abzug Geld gegeben wird. Gail. 2. O. 35. n. 2. qualis detractio pro locorum varietate variat. Vid. Otton. Philipp. Zepper. de jur. detract. n. 74.*

X X I X.

De quibus verò rebus, & an de bonis extra territorium sitis sit danda? similiter, an detractio onus de novo institui queat, cum sit Regale, 2. F. 56. absq; præscriptione vel privilegio Imperatoris? videri potest *Besold. Thef. Pract. v. Abschhos.* Liberi tamen ab hoc onere sunt Principes, & territoriorum Domini in loco sibi subdito arg. l. 5. C. de veltigal. Clerici, Professores, & alia Universitatis membra, Studiosi, qui sive migraturi, s. bona cujusdam defuncti v. g. Parentum ablaturi, censum emigrationis persolvere non tenentur. *Schnob. D. in π. ult. th. 28.* Idq; vel maximè *ερυμω* vocabuli *Nachsteuer*/confirmat, ex quo patet, de his tantum bonis pensandam esse detractioem; de quibus ante discessum onera sunt præstita, welche vorhero sind versteueret worden. *Ott. Phil. Zepper de jur. detract. n. 15. cum multis seqq.*

X X X

Colophonem discursui imponant non usq; adeo expeditæ quæstiones: *an Senatus Civem, qui nihil commisit, pro suo arbitrio, à civitate excludere queat, & quando eum invitum de facto excludit, an tum jus emigrationis debeatur?* Affirmat *Besold. c. l. voc. Abschhos per Pac. Reliq. de anno 1555. §. wo aber unscie.* Sed rectius utramq; negari putam; illam, propter l. un. §. ult. ff. *Furores ad v. naut.* hanc, propter l. 11. l. 155. ff. de R. 7. Nec videmus, quomodo obstat *Pacif. Rel. d. l. cum de eo loquatur casu, quo quis liberè & propria voluntate, non verò coacte, emigrat.*

TANTUM.
UNANIMI VOTO LAUS SIT HONORQUE DEO!


ULB Halle
005 129 192


3



V077







B.I.G.

Farbkarte #13

JURIDICUM
CILIO,

NO NUMINE,
CULTATIS JURIDICÆ,
IDIO

I
& Excellentissimi
CREGEL,
& in florentissi-

mandatarum Professoris
e Facultatis h. t.
abilis,

DRIMBERGENSIS
xterrimi,
s colendissimi,
itorum examini
um

ONE Schilling /
o, A.&R.
premr.
XV.

FFI
niversitatis Typographi

